

XXVIIII

SEBALDI à SACK  
DIANA TRIUM-  
PHANS,

HOC EST,  
ORATIO,  
QUA PROBATUR VIRO  
PRINCIPI, HOMINIQUE NOBILI  
CONCEDI POSSE, ET DEBERE  
venationis exercitium;

ob Habita

In Illustri Bethanéo

Silesiorum ad Oderam;

die XX. Novemb. an. CIO. IO CXVII.



Voluit  
D. n. r.

BETHANIE AD ODERAM

TYPIS JOHANNIS DÖRFFERI.





Viro

QUA VETUSTA GENERIS NOBILITATE, QUAE VIRTUTIS STRENUAE CLARITATE

Magnifico

DN. ALEXANDRO à STOSCH: in Klein Eschirn/Kolzig/Eschepplau / &c. Domino Patrono & cognato suo, devoto filialis obsequii affectu æternum honorando,

Tenuis hasce studiorum suorum primitias,

*In debita gratitudinis symbolum & observantia perpetua monumentum*

Dedicare  
Consecrare

Voluit  
Debit.



SEBALDUS à SACK  
& Pirscher.

425426

PRAELOQUIUM

DEDICATOR.



ui præclara præclarorum heroum facinora, ingenii sagacitate & ubertate styli, ab oblivione atq; interitu vindicârunt, plenis buccis deprædicant Alexandri Magni, invictissimi Regis, erga literas & literatos amorē, studium atq; observantiam. Quo enim ille loco numeroq; habuerit liberalioris doctrinæ secreta, præter alia documenta & testimonia innumera, luculentissimum est illud: quòd Aristotelem, Ephorum suum, haud secius doctum ac fidelem, ob rerum, quas ab eo privatim acceperat, evulgationē, acriter reprehendit; talib. ad eum missis literis. *Quòd acroamaticas edidisti disputationes, non rectè abs te factum est. Quò enim re alius præstabimus, si, quibus disciplinis instituti sumus, jam omnibus ea communes fuerint. Ego sanè mallem optimarum rerum peritiã, quàm potentiã excellere.* Quam quidem indignationem ab animo discendi cupidissimo, laudumq; literariarum sitientissimo profectam esse; nemo tantã mentis caligine, sensuumq; hebetudine laborat, quin videat & fateatur. Eruditorum verò commercio ac lucubrationibus ita gaudebat optimus Rex, ut nemo magis. Præterquam enim quòd humaniter cum iis occasione datã, conversabatur; sæpe etiam pro tenuissimo labore, amplissima iisdem decernebat præmia. Dignus ob id heros literatissimus, qui omnibus doctorum virorum scriptis, ad

immor-

immortalem laudem, ad omnis posteritatis memori-  
am, celebretur; dignus qui vivat, floreatq; quàm diu ar-  
tes florebunt mansuetiores. Verùm quid hoc voto o-  
pus? vivit adhuc inter homines, multis in locis, lauda-  
tissima ipsius virtus: habemus hodieq; ALEXANDROS, si  
non regali titulo, aut nomine; tamen fausto omine, &  
re ipsâ, hoc est, eruditione & liberalitate verè MAGNOS:  
inter quos Tu multis mihi modis venerande Patrone,  
haud postremum obtines locum. Neq; n. in ea unquam,  
Generose Alexander, fuisti opinione: satis Tibi esse ad  
vitæ hujus felicitatem Majorum florere tantùm rebus  
gestis: sed potiùs tantò magis enitendum Tibi esse exi-  
stimâsti; ut Nobilitatem generis insigni virtutis proprie  
magmento condecorares; & ad heroicum ALEXANDRI  
prænomen, ex indefesso rerum optimarum studio, et-  
iam cognomen MAGNI indispiceris. Cujus rei gratiâ,  
in ipso juventutis flore, quod pauci nostri ordinis faci-  
unt, ita adamâsti, ita fovisti ingenua liberalium artium  
studia; ut optatam metam; *Σωσιον & Δωδαιμιν ἐξ μιλωνικων*, pa-  
ri felicitate, pari voluptate contingeres. Nec adhuc  
laudabilis ille in animo tuo extinctus est ardor:  
sed cum annis ita adauctus, ut antea tantummodò  
dilexisset, nunc demum amare videaris sacratissima  
Musarum studia. Quoties enim mihi alloquii Tui sua-  
vissimi usurâ frui contigit; (contigit autem sæpissime)  
toties doctrinæ præstantiam cum summa conjunctam

utilitat

utilitate deprædicâsti, eruditè, ornatè, graviter: osten-  
distiq; candidè; militarem gloriam esse quidem præci-  
puum viri nobilis ornamentum: sed tamen, qui in Mu-  
sarum castris, sub Apollinis vexillo strenuè militaverit,  
majori honore, ampliori laude dignum esse, quàm qui  
in Martis æde, innumera fortitudinis bellicæ, sine lite-  
rarum lauru, statuisset tropæa. Quod quanquam illu-  
stre vehementis erga literas amoris indiciû est: accedit  
tamen eodè etiam aliud, longè clarius atq; evidentius:  
summa Tua erga literatos & *φιλομαθες* benevolentia ac  
munificentia. Quo enim erga viros doctos sis animo,  
quo eos prosequaris amoris affectu, nihil opus est, mul-  
to exprimam verborum ambitu: nôrunt siquidem, qui  
modo Te nôrunt, & fatètur omnes: ingenitû Tibi esse à  
Natura præcipuum quendam eruditos amandi foven-  
diq; stimulum; ut, cum alij nugis vacent, Tu altiori qua-  
dam vi mentis præditus, nusquã svaviùs, quàm in doctis  
doctorû virorum collóquijs conquiescas. Atq; hinc e-  
nata rarissima virtus, ad propaganda hæc studia, ad pro-  
vehendos in hac palæstra desudantiû conatus, Liberali-  
tas: cujus me quoq; participè esse factû, ut libenter pro-  
fiteor; ita gaudeo vehementer. Quod enim, Te mihi in  
decurrendo isthoc, quod feliciter ingressus sum, litera-  
rum stadio, auxiliares manus porrecturum, sæpius con-  
firmâsti, (utinam referre gratias perinde valeam, atq; ad  
referendas me totû oppignerò!) illud neq; precib. meis,

neque

neq; aliorum intercessionibus effectum est: solus bonarū artiū amor, quo tantopore flagras, id ut faceres, Tibi suasit, ac persuasit. Est igitur, quo gaudeas, Nobiliss. Meccenas; est quod Tibi gratuleris, persuasumq; habeas firmissimè; fore, ut humaniores Musæ, quas patrocinio Tuo dignaris, & honore, & studio præclaro, Te vicissim ament, juventq; honoris ac lætitiæ coronam semper virentem, nunquā marcescentem capiti Tuo imponant; faciantq; ne ulla unquam de Tuis laudibus conticescat ætas. Ego, quas modò extremis labris attigi, virtutes Tuas immortales, in præsentia non persequar pluribus. Nam quemadmodum Alexander M. non nisi ab Apelle pingi, & à Lyssippo fingi voluit: ita Tu fortè non nisi à præclaris & laudatis viris celebrari collaudariq; voles. Dabitur a., uti spero, aliud de generoso beneficoq; animo Tuo, & de innumerabilib. in me meritis, dicendi tēpus atq; occasio. Interim infirmū hunc & informē ingenii mei partū, observatię erga Te meæ obsidē, animi grati obicē, Tibi offero: quē ita velim suscipias; ut nō ex verborū cortice; sed ex submisso & devoto animi mei affectu æstimandū censeas: ac deinceps gratiæ Tuæ favoniū studiis meis adspirare sinas. Quod dū mihi de Te, spe ampliss. promitto: Deū veneror; ut G. T. unā cū geneross. conjuge, totaq; familiā, bene valentē, florentemq; quādiutissimè conservet: & coelesti suā aurā ad omne salutis ac dignitatis fastigiū evehat, provehat. Beth. Kal. Dec. an. 1617.

CASPAR

CASPAR DORNAVIVS  
GYMNASII SCHÖNAICHIANI  
RECTOR, LECTURIS S.

**D**ERRHUS, EPIROTARUM REX, DICTERIVM JSTUD  
crebro sermone usurpavit: plures urbes imperio suo additas oratione Cynæ, Legati sui; quāvis armisq; exercitū instructissimū. Verè equidem; & ad humanam mentem, juxta & sensus accommodatè. Quemadmodum enim magnæ, si quid credendū est nature venatorib. cum ferri ignisq; vim elidit & eludit; hircino sanguine mollescit: sic hominū dura pectora verborum arte atq; mellinjs mitigantur fiuntq; tractabilia. Dicitū hoc esto ijs, qui Rempub. capeffere cogitant; tum inprimis illis quibus volupe est

longo  
Sanguine ceneri, pictosque ostendere vultus  
Majorum, & stantes in curribus Æmilianos.

Quibus etsi suavius quandoq; arridet latratus canis, hinnit usq; equis; quāvis flexanima eruditi hominis oratio: digni ob id, qui inter canes & equos delicientur; cordatiores tamen ab illis sententias suas servocant; & animi ornamenta, quāvis canum aut equorum phaleras potiora habent. Ex quorum numero appellare licet SEBALDUM à SACK, cui à puero nihil equè votivum fuit,

Quāvis sapere & fari ut posset:

Consecutus quoq; facultatem ejusmodi: ut de quovis argumento, pro ætate ista juvenili & promptè & eleganter & ingeniosè dicere valeat. Ipsemet hoc nomine se commendabit die crastino, hora octavā matutinā; oratione probaturus: Venationē viro principi ac Nobili laudē esse, non fraudi; honori, nō dedecori. Vos, qui cives estis adscripti, adeste ex officio. Qui præterea hic agitis, harum Musarū: ne denegate, quaeso, tantillū temporis impendium ad audientia præstandam homini Nobili, in argumento nobili versaturo. sic nos Deus unū: quaq; faciat vasa suæ bonitatis atq; sapientiæ. Valete. P. P. XXI. Novembrii Anno C I O I O C X V I I.



A D

Nobilissimum Juvenem,

**DN. SEBALDUM à Sack**

& Pirschen / Eq. Siles. ob amorem & studium in bonas  
litteras, omnium Bonorum amore dignum,  
vereq; gentis suæ novum exori-  
turum sidus,

*Cum*

DE VENATIONE DISSERERET.

**S**EBALDE SACKI, oculis meis charissime,  
Et omnibus Bonis amande, ob indolem,  
Ob inclytam, generosam, & igneam indolem;  
Aures aduler an tuas? an auribus  
Obtrudam ego palpum, velut vulgo solet?  
Nil horum ego, cui alma cordi est veritas.

**J**Ta eleganter, eruditè & approbè,  
Venationis explicasti retia:  
Ita eleganter, eruditè & approbè,  
Studium Dianæ, amabilis viraginis,  
Dignum probasti & Principe atque Nobili:  
Nil elegantius, nihil disertius,  
Ætatis ut tuæ queant Commilites;  
Nil elegantius, nihil disertius,  
Ut ordinis tui queant convelites.

Juravit ipsa calibatam perpetem  
Diana: sed juro Dianam amabilem;  
Diana non nisi tibi nubet viro.

*Balthasar Exnerus de Hirschberg,  
Professor Historicus Schönauickian*



SEBALDI à SACK  
**DIANA TRI-  
UMPHANS.**



Uàm metuo, Magnifice Athenæi  
Rector, spectatissima Virorum excellentif-  
simorum, clarissimorum, humanissimorum  
concio, florentissima Juvenum a vitâ patricâ  
& suapte Virtute nobilissimorum corona; quàm me-  
tuo, inquam; ne, quod multis præclaris, disertissimis-  
que viris usuvenit; id mihi quoq; , ex amplissimo hoc,  
ornatissimoq; dicere constituenti loco, accidat. Et  
enim quis nescit, Crasum, Ciceronem, Demosthenem,  
Oratores, omnium, quos Sol unquam aspexit, aspicit,  
aspecturus est, celeberrimos, in magna quapiam Ma-  
gnorum Virorum frequentia perorantes, sæpe usque  
adeo pertimuisse; ut contremuerint, ut obstupuerint,  
etiam obmutuerint. Quid ergo mihi putatis esse ani-  
mi, homini Juveni, quem ingenii magna cingit &  
stringit imbecillitas, major judicij ferit ac terit infir-  
mitas, maxima Eruditionis vellicat, ac penè enecat pau-  
pertas. Equidem animum referens ad illas, quæ hoc de  
loco, à Viris omni laude cumulatissimis ante-hac ha-  
bitæ sunt Conciones, perfulas Svadæ flore Demosthe-  
nico, Gratiarum rore Entheco; Periclei leporis fulmina,  
gravitatem Nestoris, Orphæi dulcedinem redolentes,  
pudore suffusus ac rubore, doleo non-nihil, & com-  
moveor animo; ne audaciæ cujusdam aut impudentiæ  
nomine suspectus vobis videar; qui aures vestras tere-

B

tes

tes ac subtiles, non dubitem dictione meâ asperâ, horridâ, frigidâ, vili, puerili obtundere. Auget timorem vester ille, in me, animorû oculorumq; conjectus; qui vestram & præsentem expectationem significat, & futuram in audiendo pollicetur diligentiam. Vereor scilicet, & vehementer vereor, ut aliquid, quod quidem vestro omnium studio dignum sit, amplissimæque de me expectationi respondeat, adferre queam. Verum enim-verò isto me timore percitum, diffidentemque viribus meis, erigit, solatur, recreat illud, quod Poëta monet;

*Qui quàm potuit dat maxima, gratus abunde est:*

*Et finem pietas contigit illa suum.*

Arbitror enim, atq; ita animum induco meum, in rebus arduis & præclaris, laudem mereri non facultatem modò; sed voluntatem etiam, & qualem-qualem conatum. Quod igitur de Sacerdotibus Ægyptijs memorant Historici; consuevisse eos in sacris, ubi nullum pro rerum dignitate, carmen reperire possent; sonum saltem quarundam literarum edere: atq; ita ostendere, nihil se posse; at plurimum interim velle: idem mihi quoque faciendum esse existimo; enitendumq; summo conatu; ut, si quam vestiendam atq; ornandâ suscepi sponsam, non eâ, quâ par foret elegantia & decorè exornare valeam; saltem voluisse videar, & contendisse. Id quod tantò alacriori mente, promptioriq; faciâ studio; quantò latior faciliorq; mihi, à prudentia vestra, & æquanimitate affulget aura. Neq; enim, modò vos rectè novi, si estis, qui existimèt, in exquisita omnia, & sublimi sita esse Eloquentia: & summos solùm-modò Oratores hâc mereri gratiam; ut attentè, bonaq; cû venia, ab omnibus  
audian-

audiantur: eos verò, qui infirmis sint humeris; nec lautâ adhuc sibi comparârint Orationis supellectilè, ab omnium eruditorû commercio procul arcendos, & oculis, auribusq; averandos esse. Non, inquam, tam rigidi, tam pertinaces estis rerum arbitri: sed potius, quod prudentiæ est, in secundis etiâ, tertijsq; consistere, pulcrû putatis: nec non, quod humanitatis, tyronibus interdû benevolentia, attentionisq; Zephyrum blandè spirare sinitis. Atq; hoc ego munimine fretus, exporrectâ fronte, imperterrito animo, quas ipse mihi sumpsit, dicendi partes, obibo: & de jucundo aliquo, neq; omnino inutili argumento, quantû quidè ingenij mei feret tenuitas; quantumq; temporis patietur angustia, & vestra in audiendo patientia, edifferâ. Cogitanti autem mihi, & intimis animi fibris meditati, ecquod potissimum argumentû sub styli revocarem incudem, per commodè in mentè venit morosæ importunitatis, importunæ dicacitatis eorum; qui nescio quâ freti libertate, eò usq; procedunt audaciæ; ut non vereantur principibus nobilibusq; viris, liberalissimo illo corporis animiq; laxamento, Venatione, interdicerè. A quibus ego quoniam ita dissentio; ut opinione istâ nihil iniquius, nihil magis absurdum fingi posse credam: constitui hâc horâ, abominanda ista malè feriatorum hominum deliria, brevi oratione detegere: ita ut simul Achilleo argumentorum robore, rationum gravissimarum pondere, fundamentorum evidentia, exemplorum magnificentia, evincam, demonstrè; nullum exercitii genus laudabilius, nullum Principe dignius, Venatione reperiri, aut excogitari posse. Quod dum facere aggredior; à vobis, humanissimi Auditores, vehementer con-

tendo, ut vacivas aurium vestrarum ædes referetis, meque de Venatione, maximè digno liberalibus ingenijs, exercitio, sine antipagamento, sine Verborum, delitijs, sententiarum majestate, actionis venustate, differentem, favore sublevetis, gratiâ juvetis, benevolentiam confirmetis, assensu & judicio sustentetis æquissimo: quò alas dicendi eveham feliciter, proveham feliciter, reveham felicissimè, subsistam quietissimè. Non equidem, ut inde potissimum Orationis meæ subtemen pertexere incipiam, me latet, quæ ratio, quæ consuetudo sit eorum; qui à prudentia, plausibili prudentum nomine insigniti sunt: nimirum ut nihil ad sensu suo temere comprobent; nihil etiam improbent facile; nisi re ad judicii libellam accuratius ad pensâ argumentorum pondere, numeroque, ut hoc amplectantur, illud execrentur; hoc ratum habeant, illud irritum pronuncient, moveantur, permoveantur. Res per se laudabilis, consuetudo approba. Veruntamen obtinerem ego, sat scio, apud animos vestros æquissimos, quod volo: vosque; ultro, uno ore, unâ mente, profiteremini omnes, Venationem Magnatibus concedi oportere; etiamsi nihil dicerem aliud, quàm quod Antigoni dixisse legimus: *Majestatem Principum esse nobilem servitutem.* Quibus enim illi non sunt expositi laboribus? quas non perpetiuntur ærumnas? quas molestias, quos casus, quæ pericula non persentiscunt? Imperant quidem alijs, & jura, legesque præscribunt subditis: sed profectò, si vitam eorum omnem, & quæ illi sustinent onera, expendas diligentius; magis servire, quàm imperare; & plus fellis, quàm mellis in-

vita

vita eos devorare dices. Quid enim? operam suam, omnem, omnem curam, industriam, cogitationem, mentem denique; omnem offerre, consecrare Reipubl. an non servire est? diu noctuque; de Reipubl. laborare salute, an non servire est? retardare atque; averruncare omni studio ea, quæ publicam tranquillitatem pessundare, extremamque urbi perniciem portendere videntur, an non servire est? subditos rebelles coercere, in officio continere improbos, plectere fontes, absolvere innocentes, an non servire est? resistere perditissimorum, hominum conatibus, componere seditiones, retundere odia, machinationes & molitiones nefarias extirpare, an non servire est? omni tempore, libero pariter, & non libero, cogitare, moliri, perficere ea, quæ ex usu sint Reipubl. an non servire est? Servit omnino, & servitutem servit longè durissimam, quisquis tantâ negotiorum magnitudine distentus, tot occupationum fluctibus obrutus est. Ecquis verò mortalium tam emotæ mentis reperitur; qui aut nesciat, aut fateri nolit, æquum, addo & necessarium esse, laborum asperitatem, & intolerabilem æstum, jucundâ quadam & gratâ animi oblectatione temperare? Magna est laborum vehementia, magnus impetus: virium verò humanarum infirmitas tanta: ut, nisi curarum & molestiarum tædijs defatigatæ, blandioris auræ spiraculo recollegantur, paulatim deflorescant; & dicto citius atterantur, consumantur, fatiscant. Nec tam Poëtæ scitum est,

*Interpone tuis interdum gaudia curis:  
Quod caret alternâ requie, durable non est.*

B 3

quàm

quàm vox ipsius DEI amanuensis, Naturæ, qua certas, ut somni & vigiliæ, noctis & diæ, tempestatis & serenitatis, belli & pacis; ita etiam laboris atque otii vices esse voluit. Ac quid plura confectæ? novalis alternis annis interquiescere, quasi que respirare sinimus; concedimus jumentis, concedimus servis, post exantlatos labores, requiem; & Principibus, Nobilibusq; tantis Rerum publ. fulcris, tanto curarum, periculorumq; æstu percitis, eam denegemus? Video, & clarissimè, nisi me fallunt oculi, ex uniuscujusq; vestrum vultu perspicio; vos, quod modò affirmavi, tacito assensu confirmare unanimes, atque etiam profiteri liberè, eos, qui secus sentiant, & Venationis studium à Magnatum aulis exulare jubeant, averfandos potiùs, quàm Oratione coarguendos: & sensu magis destitutos, quàm refutatione dignos videri. Quem enim ex uberrimo fragrantissimoq; rationum campo modò depromsi flosculum, ejusmodi est; ut suffitu suo suavissimo, & gratiam conciliet sententiæ meæ, gustumque amabilem; & foetidas nugatorum dispellat, ac quodam modo obumbret ineptias. Tantum autem abest, ut eo quicquam commoveantur illi, qui contrariam, plenam incitiæ, plenam audaciæ circumferunt opinionem; & ex crassissimis errorum tenebris, in Veritatis lucem splendidissimam pertrahi queant; ut potiùs duplicatis clamoribus, auctà litigandi prurigine, magis magisque recalcitrent, piciq; multò quàm, antè pertinaciùs adhærescant. Recensentibus enim nobis multivaria onera, graves curas, & quæ Magistratui, velut saxum Tantalò, perpetuò impèdient pericula, re-

petentibus illud, quod Laërtius dicebat; *Nihil esse sub sole, quod assiduum laborem ferre possit*; Venatione eam ad rem nihil opus esse regerunt; alia esse exercitia, alios ludos; quibus à curis, molestiisq; abduci possint animi, dictitantes. Quocirca ne superstitioso isthoc delibuti deliramento, altiùs cristas erigant, aut patrocinio adversus opinionem istam eguisse videatur Veritas: operæ pretium me facturum arbitror; si, pede propiùs collato, planum faciam, atq; ad oculum demonstrarem; tanti momenti rem esse Venationem; ut, si ex omnibus exercitiis, unum quoddam, in quo Principes, Nobilesq; horis succisvis, studium suum collocent, esset deligendum; nullum neq; præstantius dignitate, neq; fructuosius utilitate, neq; oblectatione jucundius, reperiri, indagari ve posset. Vos modò, quæ capistis aurium benignitate, animorumq; præsentia, mihi porro adesse dignemini: Ego summis viribus contendam, ut ex infinita illa dicendorum copia, superfluis omnibus resectis, verborum ampullis rejectis, maximè præcipua tantum aspectui vestro subjiciam: quò vobis, si re alià nulla saltem; brevitate Orationis, & simplicitate placere queam. Solent Rhetores, & qui persuadere quippiam volunt hominibus, ad faciendam fidem, Oraculorum imprimis, aut illustrium Virorum adhibere auctoritates, sententiasq; præclaras: horum decantant laudes, commendant eruditionem; prædicant sapientiam; his contradicere, aut fidem derogare, nefas esse ducunt, dicuntque. Ego verò persuasurus vobis rem longè verissimam, non Socratis, qui Apollinis Oraculo; non Salomonis, qui Spiritus Sancti præconio, omnium mortalium judicatus est sapientissimus, cedro dignis -



dignissima scripta evolvam; non folia Sibyllæ replica-  
bo; non Pythium Apollinem consultum ibo; non de-  
niq; aliorum Oraculorum responsa flexiloqua, nodo-  
sasq; amphibologias examinabo: sed illius Voluntatem  
exquiram; à quo, quicquid eruditionis, quicquid sapi-  
entia ubique est, velut ex perenni quodam fonte pro-  
fluxit: illius sententiam explorabo, quem erroris ali-  
cujus arguere, aut falsiloquii, nefarium est facinus, &  
morte piandum; illius testimonium deponam, qui  
quantus quantus est, nihil nisi sapientia est: de Verita-  
tis ore, boni omnis authore, D E O, me loqui, jam in-  
telligitis, Auditores. Dubitatis-ne verò approbatum  
ab eo esse, concessumque Venationis studium? Agite,  
exspatiamini mecum, si lubet, in sacratissimum sacra-  
rum literarum viridarium; & occurret in ipso statim  
vestibulo, quod dubitationis scrupulum, si quis est, ani-  
mis vestris eximere possit. Quæ enim vox Dei prima;  
ad primos nostros Parentes? quod dominium? quod jus  
primævis primitus oblatum hominibus? Nonne hoc i-  
psum, quod prædico, quod defendo, jus Venationis;  
atque in omnes terrarum orbis beluas imperium? Nam  
ipsum Dei verba gravissima, quæso percipite: *Domina-*  
*1. cap. Genes. mini, inquit, in pisces maris, in volucres cæli; & in omnes*  
*super terram reptantes bestias.* Quanta vox! quantus Do-  
minus! Videte, in principio statim temporis, suam no-  
bis, hac de re, Deus ter sanctissimus revelavit volunta-  
tem; &, quæ est ipsius in genus humanum benignitas  
ac misericordia, à prima Creatione, hoc nobis gratia,  
hoc juris elargitus est, ut Domini essemus reliquorum  
animalium: iis, quandocunque luberet, ad laborem,  
ad

advictum, ad amictum, uteremur, frueremur. Atq;  
ut de hac voluntate ipsius ed essemus certiores, nec  
cujusquam Momi dicteria ab hoc nos deterrere pate-  
remur jure; clarissimis verbis id ipsum alio in loco re-  
petit, dicens. *Terror vester ac tremor sit super cuncta ani-*  
*malia terra; & super omnes volucres cæli.* Imò, quod pe-  
nè præterijssim, homini nondum creato hanc pote-  
statem, hoc jus, quasi quoddam peculium, attribuit  
idem ille rerum omnium creatarum creator, conser-  
vator ac dominus. Antequam enim in suavissimas lu-  
cis hujus auras produceret protoplastum Adamum; *fa-*  
*ciamus, inquit, hominem ad imaginem & similitudinem,*  
*nostram; qui præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & be-*  
*stiis universis.* O admirandam D E I sapientiam! ò inef-  
fabilem ejusdem charitatem! qui tanto nos, præ cate-  
ris rebus creatis, honore dignatus est; ut ad pulcherri-  
mam sui imaginem effictos, non modò omnium neces-  
sariarum rerum apparatu, ad satietatem usq; dotaret;  
sed cunctis terræ animalibus præferret; imò præficeret  
etiam, illustri cum generis humani gloria & emolu-  
mento. O detestandam verò atque abominandam per-  
versitatem illorum, qui tantam Creatoris bonitatem,  
tantam sui felicitatem, aut insuper habent ingrati, aut  
non agnoscunt stupidi: in tantum, ut infallibili sacra-  
scripturæ testimonio obstrepere; dominatumq; quem  
divino permissu, veriùs dicam, jussu ac mandato, in fe-  
ras exercent homines, prohibere, atq; abrogare peni-  
tus non erubescant. Indigni sunt ejusmodi cavillato-  
res, non dicam amore D E I, & benedictione; sed ho-  
minum appellatione; quibus cum sordeant salutaria,  
præce-

præcepta DEI; ne DEO vicissim fordeant, & graves ipsius manus aliquando experiantur, diligentius ipsi videant. Sapientiores & circumspectiores. hæc in re nostri Principes, Nobilesque; qui audientes sinistra nonnullorum de venatoribus judicia, non statim derelicto jure suo, spretâq; turpiter autoritate divinâ, cum venabulo abijciunt venandi animum: sed probè de arcana DEI voluntate edocti, tantum curant illorum, latratus; quantum.

*aut numerum lupus; aut torrentia flumina ripas;*

& quicquid à gravioribus curis, negotijsque publicis conceditur otij, temporisq; vacui, id omne libentissimè impendunt Venationi; quippe quâ nec tutior, nec commodior ulla brutis animantibus imperandi homini est monstrata ratio. Macti hoc animo, viri generosi, & pietate; obediendum omnino DEO potius est, quàm hominibus: hi fallunt & falluntur sæpissime, ille nec fallere didicit unquam; nec falli potest à quoquam: hi pauca; ille perspectè novit omnia: hos affectus quâdoq; longius à rectæ rationis judicio abstrahunt, ut verū cernere non possint; ille solus affectibus frenum injicere; veritatemque in remotissimo absconditam angulo eruere, & in apicum protrahere novit: illius *ἀρετῆς ἰσχυρὰ* omni testimonio firmiter, omni autoritate sanctius, est, & esse debet omnibus. Ac etiamsi potestatem hanc, hoc privilegium, non ultrò nobis obtulisset is, penes quem rerum omnium suprema est potestas; etiamsi voluntatem, hæc de re suam, atq; decretum non tam illustribus testimonijs manifestâisset, tam perspicuis, toties repetitis verbis declarâisset; satis superq; tamen, ad arden-

ardentissimum Venationis amorem, ad indefessam ejusdem culturâ invitaremur tacitâ Naturæ lege, quæ nobiscum nascitur. Nam quorsum opus est, hortari hominem atq; monere, ut profutura appetat, nocitura declinet? Quorsum opus est ei, qui divino rationis beneficio particeps est, præcipere; ut ad coercendam, diræ famis rabiem, cibo; ad arcendum frigus, corpusque ornandum, vestitu; ad sufferenda laborum tædia, ac difficultates, aliorum operâ utatur, & ministerio? Nemo mortalium tam mentis impos, tam expertus omnium sensuum repertus est unquam, qui aliorum monitis atq; præceptis, ad id se compelli fuerit passus; ac non potius spontaneo nisu, naturaliq; propensione eam susceperit curam. Satis sua quemq; indigentia, factis innata cuiq; *Φιλανθία*, & sui amor eò ducit, rapitq; ut quæ ad vitæ hujus sustentationem, sanitatemq; corporis facere videantur, cõcupiscat, concupita acquirat, acquisita custodiat, pari labore, pari desiderio. Scilicet, ut præclare inquit Tullius, *hoc à natura omni animantium generi tributum est, ut se, vitam, corpusq; tueatur, omniaq; quæ ad vivendum necessaria sunt, inquirat. Et paret; ut pastum, ut latibula, ut alia ejusdem generis.* Si autem ulla res, in spatioso hoc, spetiosoq; mundi teatro reperitur, quæ ad explendum naturale hoc hominis desiderium apta, facta; & alimenta nobis, & vestimenta, & alia, ad vitam hanc, bene, feliciterq; transigendam, præbet commoda; præbent certè illa, quorum causâ Venatio primitus inventa, & in hunc usq; diem diligenter exculta fuit, animalia. Unde enim carnes, nutrimenta nostris corporibus aptissima, fulci-

menta Vitæ certissima? pelles, pelliceas vestes, tegumenta & munimenta corporum per-quam idonea, unde habemus? Unde, nisi ab ipsis brutis. Bruta, bruta, inquam, sunt, à quibus, tanquam vasallis & subditis nostris, in laboribus operam, in necessitatibus auxilium, aliaq; vitæ subsidia, quasi pro jure nostro hæreditario, exigere possumus. Nec quisquam nos, dum id facimus, reprehendere, aut iniquitatis alicujus crimine condemnare potest; nisi qui fortè cæco Andabatarum impetu, ipsi Naturæ bellum indicere, quæq; rata habent omnes, nefariâ linguæ procacitate, irrita facere velit. An enim frustra condita sunt, tam præclara, tam multi-varia, quæ in aëre, terra, mariq; hinc inde conspiciuntur animalia? Effrons est planè & excors, quisquis arbitretur; impius, qui edisserat. Nam qui propter se, potenti verbo, ac nutu, totū genus humanum; idem propter homines, reliqua fecit animalia; misertus nempe humanæ indigentia & miseriæ, quæ tanta est, quantâ nec Apelles penicillo, nec Cicero fando, nec Heraclitus lachrymâdo satis exprimere posset. Undenam quæso, si carniū usu prohiberemur, tot millia, omnium ætatum, omnium ordinum viverent homines? unde princeps tot ministros ac subditos; Pater familias servos suos, liberosq; unde aleret? Unde, vestitum omnes; unde contra cœli tempestates, & intensa Bruinæ frigora munimen peteremus; nisi lanam nobis, calidasq; pelles suggererent bestia? Ut denique Athlantæam laborum molem, nostris innixam cervicibus, sustineremus, nisi beluarum viribus, ac robore, quasi fulcro quodam sublevaremur? Pereundum, iterum.

rum dico, pereundum nobis esset, in tam præcipiti malorum lernâ, tam inextricabili labyrintho; ac descendendum ab hoc vitæ stadio prius, quàm id rectè essemus ingressi. Atq; hoc mentes calamosq; flexit eorum, qui ponderatis probè, atque ad amissim perpensis rerum omnium momentis, quid jure, quid ve injuriâ, mortales, in hac mortali vita, faciant, præceptis luculentissimis prodiderunt, ut Venationem à primo & vetustissimo jure, puta naturali, descendisse, unanimi consensu sanxerint, scripserint. Cajus enim, Jurisconsultorum facilè princeps, \* *quarundam*, inquit, *rerum* l. i. ff. de ac- *dominiū nanciscimur jure gentiū, quod ratione naturali in-* quirer. rer. *ter gentes per-sequè servatur.* Et mox subjicit: *omnia igitur* dom. *animalia, quæ terra, mari, cælo capiuntur.* Eandem sententiam amplectitur, sed & defendit autoritatis suæ scuto, laudatissimus Imperator, Justinianus. Nec aliam mens reliquis, qui quæ Juris sunt, & ipsi dextrè intellexerunt, & sincerè alijs tradiderunt. Eant nunc, qui velint, & dubitent, si possint, Naturam ipsam etiam invitos nos, & repugnantes, in campos, in sylvas, in lustra ferarum, quasi admotis calcaribus, adigere, atq; ad venandum, non hortari blandis, mellitisq; verbis; sed cogere, duro proposito telo, extremâ necessitate. Ego haud-quaquam proprio confusus judicio, aut inani persuasione, Aristotelem, virum exploratæ cum fidei, tum eruditionis, causæ meæ antistitem facio atq; patronū; & quod is, in Politicis, hac ipsa de re differit, alacri amplector animo, altaque cum eo voce exclamo. *Homini naturaliter concessus est dominatus in beluas: ideoq; eas venando capere potest.* Possem hoc loco antiquitatem

\* *Sfera. In-*  
*stit. de rer.*  
*divis.*

hujus studij, quod ab ipso statim mundi exordio coli & exerceri captum, commemorare: possem in lucem aspectumq; producere sanctos Patriarchas, potentissimos Reges, Principes serenissimos, nec non alios virtutum maximarum gloriâ præcellentes viros: qui genus hoc exercitij summopere adamârunt, eidemq; sese totos quasi mancipârunt: possem adducere alia, è quibus, velut è tabellâ adumbrata quadantenus Venationis dignitas melius clariusq; elucesceret. Sed conjecturâ facilè augurari possum, me, si vel totâ die, sine ullo interspirio, reclusis veterum annalibus, adhibitisque ex omni memoriâ exemplis, ad asserendam præstantissimi exercitij majestatem, verba facerem: & Venationem rem esse honestam, præclaram, laudabilem, dignamq; adeo omnium amore, contentione, ac studio, quantâ possem voce clamarem: nihilo tamen plus profecturum, quàm qui vel Æthiopem lavando dealbare; vel invitis canib. venari, conatu, irrito dicam, an temerario, pertentant; nisi simul quorundam ex ea promanantium commodorum mentione factâ, utilitatem rei, cum dignitate paria facere, ad oculum demonstrarem. Neque enim de nihilo est, quod veteri diverbio dicitur:

*Cura quid expediat, prior est, quàm quid sit honestum.*

Ita quippe plerorumq; mortalium est comparata Natura: ut rem, quæ per se honestissima fuerit; utilitatibus autem non usq; adeo referta, alto supercilio spernant; aut certè ita oscitanter tractent, & frigidè; ut omnino neglexisse fuerit fatius: Ex qua verò tantillum emolumentum sese assequi posse sperant; eam & arripiant illico, &

& amplectantur inexplebili aviditate, amore studioq; infatiabili. Ut igitur cognitum, exploratumq; fiat omnibus, Venationem non dicis tantum gratiâ, à DEO inventam; à natura monstratam; à legib. divinis & humanis confirmatam; à Regibus, Principibusq; excultam esse: sed tanta insuper generi humano conferre beneficia; ut si ea ex mundo tollenda, & ab hominum arcenda foret commercio; non Principum modò unus & alter, non una atq; altera civitas; sed res familiaris, sed Resp. sed florentissima regna, detrimentum caperent longè gravissimum; utilitates, quæ industrios venatores certo certius manent, quantâ fieri poterit brevitate perstringam; easq; non singillatim omnes: (quod suscipere temerarium juxta & operosum nimis foret:) sed ut pictores, cum exiguo spatio, ingens aliqua hominum multitudo delineanda venit, primores quidem totos exprimunt: reliquorum verò summa saltè capita, vel vultus atq; ora, vel manns & brachia representant: sic ego, cum infinita penè Venationis bona, brevi oratione, sint proponenda; præcipua tantum persequar; reliqua strictim breviterq; attingam; non ostendam. Antagonistæ mei, conjurati Venationis hostes rogati, quæ res, quæ spes, quod commodum, summos quosq; viros ad venandum invitaret, pertraheretque; reticentes & supprimentes, quantum in se est, interiorem Venationis nucleum, exteriora duntaxat monstrant putamina: & ubi diu multumque esset elaboratum, concursum hinc inde, itum, quæ situm, per vepres, dumeta, & remotissima quæque loca: tandem capto lepuscule aliquo, aut apro, maximorum laborum tollerantiam, portiunculâ carnis compensari, satis audacter

audacter, satis contumeliosè effutiunt, Hoc, inquit, summum illud bonum, hæc ingens illa utilitas est; quam Venatores, ubi res dexterrimè cadit, consequuntur: quâ sublatâ, nihil omnino, quod Principum demereri studium possit atq; amorem, in Venatione visitur. Sed profectò, nisi scirem pertinaciæ magis & ἀειρολογίας, quàm ignorantiz vento afflato, tam sinistros, de tam nobili exercitio, sermones spargere; non in capite amplius; sed in calcaneo cerebrum eos gestare dicerem. Quæ enim mens vestra, quis animus, loquaculi? An inanes nugas, quæ vobis tantopere placent, sublimes magnorum virorum animos capere posse arbitrâmini? an ut ferarum carnibus, se, suamq; familiam sustentare possint, laudatissima Dianæ studia eos exercere somniatis? Pudeat vos tam vanæ persuasionis, garrulitatis tam ineptæ. Seria sunt omnia, magni momenti omnia, laude atq; admiratione digna omnia; in quibus operam suam, industriam, mentemq; figunt illustres & heröici viri: atq; ut exiles & abjectos plebejorum animos, non facilè, ardua quæ sunt & eximia, occupant: ita fieri nequit; ut magnus excelsusq; animus ijs in rebus defixus hæreat, quæ Siculis gerris sunt vaniores; quæq; etiam à minorum gentium dijs, citra omnem molestiam, præstari possunt. Equidem hoc agitur in Venatione, verum est: eliciuntur è suis latebris, ursi, apri, cervi, damæ, leporesq; agitantur, capiuntur, venabulo transverberantur: carnes postea esui adaptatæ mensis apponuntur. Sed alia, alia longè res est, quam in Venatione, tanto ardore, tanto animi imperu, persequuntur Magnates; digna cõprimis amore, digna labore,

labore, studioq; fideli. Quaritis quæ illa sit? dicam uno atq; altero verbo: Salus propria; & salus subditorum. Dum enim bestias venantur Principes; venantur simul securitatem, commodamq; commoditatem habitandi, venantur fortitudinem bellicam; venantur corporis constitutionem optimam. Atq; hæc sunt veræ ac salutaris venationis dotes; hæc commoda potissima, quæ in ea inveniuntur, & unâ cum ipsis bestijs capiuntur. Ac ne fortè fabulam narrare, aut inani verborum nugamento, palpum vobis obtrudere velle videar: repetam rem paulò altiùs; efficiamq; rationum pondere gravissimo; labore, quemadmodum existimo, levissimo: ut, quam ego de venationis usu, candidè deposui sententiam: vos ita comprobetis suffragiorum calculis: quasi Apollo eam ex tripode, aut de Cumeoantro protulisset Sibylla. De ea autem; quam primò nominavi, utilitate, pluribus disputare, aut curiosius inquirere; supervacaneum, ac penè ineptum esse dixerim: cum exploratissimum sit omnibus, feroces bestias tantum negotij faceffere hominibus, tantum offeere eorum commodis: ut illorum rabiem, insuetusq; multò, quàm ullius hostis aciem, reformident vehementius. Secedite enim paulisper cogitationibus, in ea terrarum loca; ubi nec venatorum insidijs, nec incòlarum viribus immanissima coërcetur ac retunditur beluarum immanitas: ubi cautum edictis severissimis; ne quisquam vel bombardæ explosione, vel alio quopiam liberiori strepitu, terrorem brutis incutiat; ne dum abigat illa, aut capta interemptaque in suum usum convertat: ubi securi per rura, per prata,

per agros divagantur; impunedq; grassantur truces ur-  
 si, rapaces lupi, apri fremebundi, dolosæ vulpes, aliaq;  
 noxia, visuq; horrenda animalia: Hominum ibi de-  
 gentium inspicite statum; fortunam eorum, vitamq;  
 omnem contemplantini; & reperietis, hoc uno eos  
 vel maximo premi infortunio; quod toties laceffantur,  
 tam miserè divexentur atrocissimis bestiarum injuri-  
 is. Vident miseri, & summo cum dolore vident, hic  
 arva sua devastari; ibi proculcari segetes: hic anseres  
 suas, gallinasque; illic boves, equosq; crudeliter dila-  
 niari, devorariq;: vident ita disperdi, ita diminui bo-  
 na sua omnia: ut ea nunquam hilari & explicatâ fron-  
 te, nunquam sine lachrymis, sine mœrore, contueri  
 queant. Est hoc dolendum: sed multò magis illud; quod  
 prædatores isti, ad villas, ad pagos, ad ipsa urbium mœ-  
 nia, gregatim accurrunt: quod obsessis vijs publicis,  
 obvios quosque instar latronum, invadunt, tanto fu-  
 rore, tantâ truculentia; ut quaquâ versum iter facias,  
 extremum vitæ periculum, vix, ac ne vix quidem effu-  
 gere queas. Quæ res quàm sit acerba, quàm luctuosa,  
 satis olim experti sunt. Batavi, qui, in Indias occiden-  
 tales navigaturi, cum Oceanum glaciale penetrare  
 nequirent, adeo vexati, & infestati fuerunt, à lupis  
 urisq; albis ac nigris: ut, omni liberationis spe abjectâ,  
 penè desperaverint de suâ vitâ: fuissent etiam, dubio  
 procul, prostrati infeliciter, & miserabiliter discer-  
 pti, ad unum omnes, nisi celerrimâ fugâ saluti suæ con-  
 suluissent. Quæ sanè bestiarum copia, quæ ferocia,  
 tanta non fuisset: si diligentius venatorum arte repres-  
 sâ, captæ & exstirpatæ essent. Cur enim nos hodie si-  
 milem

milem non experimur fortunam? Cur in vado confi-  
 stentes, à tantâ malorum Iliade, tam tristi servitutis  
 jugo, liberi sumus atque immunes? Scilicet venatio-  
 nis beneficio salutari, singulariq; venatorum industriâ  
 tanta nobis parta est felicitas. Quod enim fruges in  
 campis, nemine custodiente, salvæ permanent; illæ-  
 sæq; ad justam maturitatem perveniunt; venationis  
 beneficium est. Quod redditus annuos, ex agris, perci-  
 pimus uberrimos; venationis beneficium est. Quod  
 in pascuis, vallibusque, sine metu, sine periculo, hinc  
 inde oberrare cernimus, armenta, jumenta, greges;  
 venationis beneficium est. Quod Mercatores, viato-  
 resq; per deserta quæque loca, ad extremos Indos, ad  
 Garamantes usq; iter facientes, tutò sua expedire pos-  
 sunt negotia: nec ullam bestiarum tyrannidem experi-  
 untur; ne perferunt, ne metuunt quidem; vena-  
 tionis beneficium est. Quod denique cum tenemus  
 vitæ cursum universi & singuli: ut ne in ipsis quidem  
 sylvarum latebris, munimentis ullis, aut antidotis, ad  
 propulsandam vesaniam brutorum virulentiam, opus  
 habeamus; venationis beneficium est. Venatio custos  
 illa est, tutrixque generis humani fidissima; quæ tuta  
 præstat itinera, tutos agros, tuta pecora, tutas domos,  
 vitam hanc, & quæ præterea, in turbulento hujus mun-  
 di ergastulo, possidemus bona, tuta præstat universa.  
 Idcirco Dominam hanc tutelarem, (cur enim vena-  
 tionem hoc nomine non appellem?) præ rebus cæteri-  
 ris, suspiciebant, cultuq; religioso venerabantur La-  
 cædamones. Cum enim inter leges suas sapientissimas,  
 hanc quoque retulisset Lycurgus, ipse sapientissimus;  
 D 2 Imper-

Impertendum esse temporis aliquid & operæ venationi: illi primùm recreationi solum-modò & voluptati exercitium hoc servire rati, parè, tanquam ludo, venatione utebantur; progressu verò temporis; ubi re-ipsâ comperissent, tantò majus incrementum capere rem suam familiarem, ipsamq; Remp. quantò magis caperentur & imminuerentur feræ: venationem unam in amore, in delitijs habebant: eam communibus votis deprecabant; & singulis ferè diebus, nisi fortè impedirentur bellis, excolebant; ardentius semper, semper accuratius. Ad assequendam verò nobilissimâ rei militaris scientiam, tam utilis, tam oportuna est, hæc, quæ de loquor, exercitatio; ut qui tutiori, aut commodiori ratione, illâ se potiri posse opinetur; eum necesse sit, aut ignorare, quid venatio sit, quo pacto instituat; aut ab omni sanæ mentis statu dejectum esse longius. Si enim rem ex re, ex ratione rationem æstimemus; patet sanè luculenter; Venationem nihil esse aliud, quàm virtutum bellicarum magistram; aut, si ita appellare malimus, ludū militarem; in quo omnia, quæ ad gerendum bellum, in perfecto milite requiruntur, & sine dispendio, tradantur compendiosissimè, & sine tædio, percipiuntur facilimè. In ea enim discimus equitare, discimus currere, discimus hastâ torquere, & tendere arcum; discimus cum hoste congredi, discimus eadem facere, tolerare famem, sitim, frigus, æstum, vigilare, insidias moliri, transilire fossas; discimus alia, quæ ad acuendam, concitandamq; militarem gloriam apprimè faciunt; nec ulla res in bello, aut tanti est momenti, aut tam levis & vulgaris; cujus non vivam

imagi-

imaginem representet venatio. Hæc, ad illius formam, sibi præficit ducem, cujus dictis omnes auscultant, atq; obediunt; hostem excursionibus provocat; exploratores in speculis disponit; insidias abdit; apertum Martem simulat; divortia, quæ ad fugam patent, observat; per saltus quidem & arva pedites præmittit; loca plana & aperta equitum alis præcingit; cornuum strepitu, progressus, aut receptus, prædam adventantem aut evadentem significat: moveri castra indicat; verbo dicâ, omnes leges militares ex-amusim observat; ut discrimen aliud appareat nullum, præterquam, quòd hic irrationalia, isthic verò rationalia ad pugnam provocantur animalia. Quam harmoniam suo etiam seculo, deprehendit Romuli nepotum disertissimus, rerum arbiter perspicacissimus: qui suspiciens fructum hunc fructuosissimum: *Jam verò, inquit, immanes feræ. 2. De Nat. ras, & belluas nanciscimur venando; ut & vescamur his, & Deor. exerceamur in venando, ad similitudinem disciplina bellica.* Et Xenophon, Imperator nunquam satis laudatus, ob hoc ipsum beneficium, tanto amore, tanto honore dignatus est venandi exercitium; ut illud non modò vivâ voce, ubi-ubi esset, laudaret atque extolleret; sed etiam, ad omnis ævi memoriam, unicè commendaret, per-eleganti in lucem edito libello; in quo longissimâ ferie, percenset omnia, ex venatorio campo promanantia commoda: hoc autem, quod nos diximus, præ-exerceri in eo hominum ingenia ad operas militares, tam evidenter demonstrat; ut de eo, ne Carneades quidem, qui tamen de rebus omnibus dubitare solebat, dubitare posset. *Hæc, inquit inter cætera, ad bellum, præcipue*

D 3

præcipue

*præcipue instituit: primò quidem, si vias iniquas, sub armis  
 ambulant, minùs lassantur: nam labores sustinent, quibus  
 feras capere consueverunt. Deinde poterunt humi jacentes  
 quiescere; ad Imperatoris edictum præsto esse: In adcundis  
 hostibus invadere simul, & imperata facere; cum feras ipsi  
 hoc modo venentur. Nec verò in fronte locati deserunt acies:  
 quia sunt paratissimi. At in hostium fuga, ubiq; illos propter  
 locorum peritiam rectè ac tutò persequuntur. Quòd si ex-  
 ercitus suus infeliciter pugnaverit; in silvosis, abruptis, ini-  
 quisq; aliis locis, se ipsos cum cæteris non turpiter salvare po-  
 terunt: nã consuetudo venandi non nihil eos peritiores red-  
 dit. O virum! ò vocem! Scilicet hæc illa est felicitas,  
 hoc vellus illud aureum; quod in venatione olim an-  
 xiè quærebant; & læti inveniebant præstantissimi du-  
 ces, bellicosissimæ nationes, omnesq; industrij Martis  
 alumni. Quis enim Imperator unquam excelluit? quæ  
 gens unquam bellicâ fortitudine inclaruit, quæ non  
 maximam gloriæ suæ partem venationi deberi, fuerit  
 confessa; quæ sese non totam huic studio dedit; Ita,  
 ut hoc unum, à laboribus, à militari strepitu, habue-  
 rit diverticulum? Persæ olim, in bellis, multum aliis  
 promptitudine, fortitudine, & felicitate præstiterunt;  
 multas populosissimas nationes bello devicerunt: &  
 hoc ipso nomine, terribiles cunctis penè Regibus ac  
 gentibus extiterunt. Quæritis quo genio ad tam excel-  
 sum potentia culmen eVecti fuerint? venationem vo-  
 bis nomino; quam singulari modo ac studio eos colu-  
 isse, refert Xenophon. Magnas enim copias, tan-  
 quam ad bellum ituri, in campum eduxerunt; ibi Re-  
 ge, perinde atq; in bello, Ducis munia obeunte, feras è  
 sylvis*

sylvis elicuerunt; cum iisdem, instructâ acie, strenuè  
 dimicârunt: atq; ita præcipuum quendam belligerandi  
 habitum sibi comparârunt. Quid dicam de Alexandro  
 Magno? Ille certè nunquam adeptus fuisset immorta-  
 le istud gloriæ magmentum; ut non modò Bucephali;  
 sed totius etiam orbis terrarum domitor diceretur ac  
 dominus; nisi venationis amator fuisset, cultorque  
 sedulus. Quanquam enim fortunæ flatu secundiori  
 plusculum fuit sublevatus: illam tamen hostis adorien-  
 di fortitudinè, congregiendi audaciam, illam frigoris  
 atq; æstus militaris tolerantiam, animi intrepidi con-  
 fidentiam, illam denique laborum omnium patienti-  
 am, non aliunde hausit, quàm ex venatione; cui soli,  
 pacis tempore, eum vacasse, veridicæ loquuntur histo-  
 riæ. Idem etiam affirmare possum de Pompejo Magno,  
 Plinio Secundo, & Trajano, Imperatoribus. Nam &  
 hi, quantum alij tribuerunt Cereri, quantum Veneri;  
 quantum Baccho; tantum sibi, ad hæc Dianæ studia  
 recolenda, sumpserunt temporis: ut mirum non sit;  
 tantum eos reliquis Imperatorib. antecelluisse rerum  
 gestarum gloriâ; quantum venationis studium alia  
 certaminum genera superat. Quantus vir, quantus  
 dux fuit Evander? tantus profectò, ut Historiographi  
 neq; mirari satis, neque sufficienter laudare possint la-  
 bore ejus in negotijs, fortitudinem in periculis, in-  
 dustriam in agendo, celeritatem in conficiendo, con-  
 siliium in providendo. An verò ille hunc nunquam in-  
 gressus est ludum? an insuper habuit hanc fortitudinis  
 cotem? Aliud de eo memorant, qui commentarijs suis,  
 ab oblivione vindicârunt fortissimorum hominum.



res gestas: aliud testatur Poëtarum coryphæus, Virgilius: dum canes venaticos ei tribuit, inquit:

— *gressumq; canes comitantur berilem.*

Adeste itaque Magnates, adeste Principes, Nobilesq; ; adspicite vitas tantorum heroum, gloriamq; immortalẽ; vestigia eorum arcto pede premite; illamq; bellicarum laudum nutricem justo modo, justã operã colite. Ita virile decus, præsidium nobilitatis, militarem prudentiam vobis comparabitis; ita famæ ac dignitatis, ita possessionis vestræ terminos plurimum ampliabitis. Neque verò, si quis tam felici sidere natus fuerit, ut perpetuã pacis tranquillitate gaudens, horrendi Martis sævitiam nunquam cogatur experiri; idcirco venationis auxilio sese carere posse existimet. Non n. si unum infortunium effugeris, omnia effugere poteris: non hæc vitæ hujus momentaneæ est conditio, non hic mortalium status: sed continuo quodam miseriarum turbine affligimur: si ex uno æmergamus periculo; in aliud incidimus miseri: si non conflictandum nobis est cum hostibus; conflictandum tamen cum alijs vitæ calamitatibus, inprimisq; varijs morborum generibus. Qui igitur venationis operã, non indiget in bello, ad propulsandas injurias hominum; utatur eã domi, ad propulsandas injurias morborum: quandoquidem compertum habemus longo rerum usu; eam ad aspellendam ægritudinem, ad conservandam valetudinem, præcipuam quandam habere vim, efficaciamq;. Quòd si veritatem rei rectius explorare cupitis; scholã medicorũ adite; audite singulorũ hæc de re sententias: idem communi voto, certo certius scio, confir-

confirmabunt omnes, cum Xenophonte, ex Hippocrate & Galeno, nihil ad bonam corporis valetudinem, vitæq; firmitatem venationis sudore esse præstabilius. Nec mirum. Motu n. illo multa dissipantur excrementa, excitatur calor, & membra fiunt solidiora. Quã de re appositè admodum & perspicuè differit Illustris Cimbrorum Prorex: *Venatio*, inquit, *universas corporis vires & partes ex aquo exercet. Equitando totum corpus venatoris movetur, eoque pacto insitus calor augetur; lacerti, brachia, manusq; canibus venaticis ducendis agitantur; canum strepitu, clamore & latratu aurium sensus exacuitur; vociferatione thorax, & vocalia instrumenta exercentur. Dum feras fugientes summo studio venator insequitur, cursu ad quodvis opus efficiendum, agilior redditur; In velocitatem celeritatemq; ferarum, atq; in canum incursum, insulsumq; acies oculorum intenditur: quã re visus melior perfectiorq; efficitur. Membra quoque & instrumenta reliqua venatoris, ex mutuo ipsorum attritu reddantur duriora, & robustiora; spiritus vehementius movetur, muscoli & nervi validiores efficiuntur.* Ne igitur miremini, Auditores, quòd Cyrus non prius prandere suos voluit; quàm in venatione laborassent, sudassentque: ne miremini, quòd Nestor, ante auroram in sylvarum silentia exivit; quòd Carolus per rivos, per saltus, per juga, per montes, omnis tempestatis negligens, repere visus est: ne miremini, quòd M. Antoninus Phil., quòd Alexander Severus, intenti alioquin Reipub. Imperatores, à gravioribus curis animum remittentes; in venationem perrexerunt: quòd Maximilianus primus, ad altissimas usque rupes, & silices, damas insequi non dubitavit.

Insecuti namque sunt non feras; non, quæ inde capi-  
tur, oblectationem; sed commodam corporis consti-  
tutionem; quâ nullum pretiosius κερμηλίον, nullum  
suavius congiarium à DEO hominibus datum esse no-  
verant. Perspicitis, opinor, Auditores, quàm latus  
mihî campus pateat; in quo excurrere possim; si, quas  
modò numerando percensui, laudando & explicando  
exornare vellem utilitates; si his alias mediocres atte-  
xere; si denique jucunditatem rei Orationis filo per-  
stringere esset animus: Sed vereor, ne, si longiorem  
de venatione sermonem comparem; parum cautus at-  
tentionis vestræ ac benevolentiae venator esse videar;  
vosque inconcinnâ prolixitate, prolixâ inconcinnita-  
te Orationis defatigati, audiendi citius, quàm ego di-  
cendi, faciatis finem. Quod ne fiat, vela contraham,  
& in vadum me conferam; ubi prius, (quod cum gra-  
tia vestra fiat, Auditores) præcipua Adversariorum tor-  
menta, in sententiæ meæ arcem directa avertero, dis-  
plofero, fregero. Quamvis enim ea in omnem partem,  
ita sit communita, stabilitaque; ut nullis planè ictibus  
convelli, nullis machinis expugnari posset: novi tamen  
proterviam hominum, & audaciam; qui, si præsen-  
tes adessent, temperare sibi neutiquam possent; quin  
omni animi impetu in eam invadentes, his me provo-  
carent, ac pungerent voculis. Quas tu nobis prædicas  
venationis laudes? quæ ei affingis commoda? quo stu-  
dio, quo animi ardore dignam judicas? cur non illam  
etiam, si æquus rerum arbiter esse velis, adjungis lau-  
dem, quòd duplo plus noceat, quàm profit? Cur non  
eundem in catalogum refers, quod Ecclesiæ, quod Poli-  
tia

tia, quod Oeconomiae inde damni & periculi obvenire  
solet? Verùm ne moveamini istis argutulorū ineptiis;  
ne deterreamini pomposis ipsorū sermocinationibus:  
verba sunt; reperit ut omnes audiatis, verba sunt; bel-  
lum caput sine cerebro; nec quicquam præter exter-  
nam speciem, insigne habent. Vultis vobis ostendam,  
quæ illi mala tantopere reformidanda censeant; quid  
boni cuique vitæ statui decedere autument; faciam si-  
ne mora, paucissimis verbis. Nullus enim dubito;  
quin, simul ac perceperitis mentem eorum, ac ratio-  
nes, risuri sitis, atque etiam exprobraturi hominum fu-  
tilitatem, stoliditatemq;. Primum verò Ecclesiæ vena-  
tionem adversari; hominibusque ad impietatem, ad  
blasphemiam fenestram aperire dictitant; quoniam fa-  
ciat, ut illi nomen DEI, numenq;, sacrosanctum sæpi-  
us improperijs traducant, conviciisq; lacerent: & hoc  
suum commentū palliare conantur D. Lutheri autho-  
ritate; (sed parum assecuti mentem ejus) qui, *Et si ve-  
nator*, inquit, *à cæteris omnibus peccatis sit liber: sæpe ta-  
men peccat impatientiâ, & detestandâ blasphemiâ; cum in  
venatione res minus feliciter succedunt.* Quid obsecro est  
epostracismo ludere cū pueris, si hoc non est? quid est &  
aure & mente & oculis cæcutire, si hoc non est? Rem e-  
nim quamcunque ex suo valore & pretio; non ex illo-  
rum moribus, qui eam profitentur, aut sequuntur, æ-  
stimandam esse: ratio doctis, natura etiam rudibus in-  
stillavit. Equidem hoc cum illis assertum libenter eo;  
in venatione perinde, atq; alijs in rebus, peccare homi-  
nes posse, labiq; humanâ infirmitate. Cū enim vel fe-  
ra evasit; vel non rectè tensa fuerunt retia; vel stationes  
suas

suas non observant rustici; vel titubant equi; vel canes non sunt expediti cursu aut latratu, vel bombardæ non exploditur ad jaculantis votum; facillè fieri potest, ut venatores, qui præsertim naturæ impatientis fuerint, atque ad irascendum proclives, blasphemias eructent, Christo vulnera sua, martyrium, crucem exprobrent; & sacramentorum diras, quasi plaustra quædam evomant; addo etiam hoc, quosdam tam venales esse animæ, tam prodigos salutis; ut conciones sacras & cultum divinum venationi postponere non erubescant. Venationi verò hoc imputari debere, aut posse, constanter pernego; & pernegant mecum omnes, quotquot dextrè de reb. judicare norunt, aut frontem non planè perfricuerunt. Si enim sacrosancta Theologia accusanda esset ob Theologorum errata & vitia: si Philosophiæ ascribendum esset, quòd multi Philosophastri delirant; si ita procedendum cum omnibus aliis facultatibus; jam diu neque artem, neque scientiam, haberemus ullam; condemnatæ omnes, penitusque sublatae essent. Imò dicam aliquid amplius, DEUS ipse hæc ratione fugiendus foret, & averfandus; cujus beneficentiâ multis modis nos abuti, tam est in propatulo, quàm quòd maximè. Vellè igitur nugivenduli isti helleboro prius sensum purgarent, quàm ad disputandum descenderent; vellem prius discerent id, quod omnium hominum sermone frequentatur; *Quanto quaeres præstantior, tantò crebrior ejus solet esse abusus.* Quanquam nec hoc illis concedimus, venationis studiosos omnes tanto turgere fastu; ut, si minús fortuna optatis respondeat, cum DEO ea dere contendere ausint.

ausint. Inveniuntur enim, & inventi fuerunt singulis ætatibus permulti; qui venationi dederunt operam, sanctimonix cæteroquin studiosissimi. Venator fuit Eustachius; venator fuit Hubertus: at ambo inter Divos sunt adscripti. De Veteribus hoc refert Xenophon, consuevisse eos à precibus, & invocatione Apollinis ac Dianæ venationes auspiciari; eaque re Deos delectatos fuisse plurimum. Et quid longâ disquisitione opus? versantur ante oculos viva ac spirantia exempla innumera principum, nobiliumq; qui ut venationis amatissimi, ita veræ pietatis & religionis sunt studiosissimi. Progrediamur verò ulterius; & utrum Politia vendolædi possit, dispiciamus. Affirmant id quidem venationis contemptores; atque etiam probare conantur duabus rationibus: sed conantur tantum; & revera nihil agunt. Quòd n. primum principes crudelitatem in venationibus imbibere dicunt; illud iniquissimum est hominum sine fronte nugamentum. Et hercle pudet me tam tetrum errorem verbis redarguere: cum jubare meridiano clarius sit: non venationis, sed animi vitium esse; quòd nonnulli principes, sine discrimine, tam in homines, quàm in beluas sæviunt. Si animus in tyrannidem propendeat, degenerabit princeps etiam si nec sanguinem, nec cædem viderit ullam. At si idem à teneris (ut Græci loquuntur) unguiculis, præceptis & assuetudine, ad clementiam & humanitatem fuerit formatus: ne latum quidem unguem ab ea discedet unquam; si vel quotidie inter cædes, arma, stipesque versaretur. Nec majori habenda æstimo altera illa, quàm nitantur, ratio; quòd multi Imperatores, Reges, Principesque

pesque feras insectando, amiserint vitam; aut in gravissima inciderint pericula. Ut enim in aliis rebus omnibus; sic in venatione etiam cautè & circumspectè Principem agere convenit: nec laudandus erit, si temerè sese periculis objecerit: alioquin sibi quoq; dictum esse meminerit, quod vulgo dicitur. *Qui amat periculum, peribit in eo.* Venatio nemini unquam nocuit; ne dum vitam eripuit: at verò audacia temeritas, ac furor, in venatione, multis nocuit plurimum. Addam etià hoc; si omnino verum esset, quod de venatione dicunt; multis eà detrimento fuisse atq; exitio: inde tamè effici nequaquam posse, averlandam eam, & lege ac legionibus fugiendam esse. Neq; enim omnia, quæ interdum aliquibus fuere periculosa, si per se honesta sint, & necessaria; vitari debent, aut possunt. Incedere & ambulare pueris sæpe est periculosissimum. An propterea nunquam ingrediantur? Spinis piscium suffocati sunt non uni: An ideo piscium esu planè abstinendum? Sophocles acino uvæ periit; Adriano IV. Papæ, vitrum labris admoventi, musca in os involat, spiritumq; præcludit: An ideo nec uvis, nec vino uti liceat? His ita dirutis & collapsis, unum adhuc opinionis suæ fulcrum ostentant; quod Oeconomiam concernit. Ajunt enim venandi studium vel hanc unam ob causam, à Magnatum consortio arcendum esse; quòd sit res sumptuosissima, rei q; familiari inimicissima: exemplis etiam testatum faciunt, multos tam magnificos sumptus, in canes, horumq; ornatum, torques, pretiosa lora, aureas & argenteas fibulas ac nolas profudisse; ut tandem bonis omnib. exhausti, vix non stipem mendicare fuerint coacti.

cti. Ad hoc breviter respondeo: *Nec una hirundo, nec unus flos Ver faciunt.* Fuerint sanè Barnabas Comes Mediolanensis, & Bajazethes Turcarum princeps prodigi, fuerint luxuriosi in Venatione; at contra facilè vel sexcentos nominare possem: qui venandò auxerint potius, quàm dilapidarint suas facultates. Quod si tamen ita statuitis, o boni, propter unius atque alterius delictum, quod in re bona admittitur, fugiendam esse rem ipsam; agite, abstinete vos prius à cibo, antequam à venatione abstinere jubeatis Principes. Plures enim omnino tempore repertos esse, qui in convivia, quàm qui in venationem nimios erogarint sumptus, vos ipsi optimi estis testes. Quod nisi feceritis; proprio vos jugulabo gladio. Quid vener diutius?

*Incidit in casses præda petit a meos:*

receptui cano; finemq; dicendi facio. Vos, qui à magnis ad magna estis prognati; qui virtute, qui dignitate ceteros antecellit, Principes, nobilesq; viri, conscendite equos, sumite venabulum, tendite arcum, adornate bombardas, extendite retia, insequimini, capite, prosternite aprum,

*— qui vastat rura colonis.*

Nihil obstat; patet campus, patent sylvæ: non vos labor, non nives, non grandines ab incepto deterreant: non pericula, non maledicorum sannas extimescite: jubet DEUS; Natura suadet; impellit utilitas. Quàm pulcrum est, sine metu, sive periculo possidere bona sua! quàm gloriosum est, valere armis, valere potentiâ, valere laudum magnificentiâ? quàm dulce deniq; & expetendum est, prosperâ, æquabili,

per.

SEBALDI à SACK

perpetuâque uti valetudine, secundo vitæ sine ulla of-  
fensione cursu? Id modò, dum hoc agitis, providete  
sedulò, ne vel Deum blasphemâ impatientiâ; vel vos  
ipso, prodigalitate, atque audaciâ: vel proximum in-  
juriâ aliquâ contaminetis. Ita venatio vestra & grata  
erit Deo & hominibus utilis: vosque, in ea capietis,  
non modò hujus vitæ adminicula: sed futuræ et-  
iam felicitatem; salutem æternam, & gau-  
dia nunquam intermoritura.

DIXI.



XXXV

ORATIO PANEGYRICA,  
DE  
VITA ET  
MORTE,  
Serenissimi, Laudatissimique Principis,  
MAXIMILIANI III.  
MAXIMILIANI II.

IMP. FILII:

Divorum Augustorum,  
RUDOLPHI II. & MATHIÆ, IMPP.

F R A T R I S.

ARCHIDUCIS AUSTRIÆ, DUCIS  
BURGUNDIÆ, COMITIS  
TIROLIS &c.

ORDINIS TEUTONICI per Germani-  
am & Italiam &c. Magistri supremi &c.

*In illustri ac frequenti Panegyre, Gymnasii  
Schœnaichiani,  
publicè habita*

à

BALTH. EXNERO de HIRSCHBERGA,  
Poëtâ Cæsario, & Historiarum atque Antiquitatum  
Professore Ordinario.

*Ex Calcographéo*

JOAN. DÖRFFERI, TYPOGRAPHI  
SCHÖNAICHIANI.